

# Liturgica

## De Liturgicis Ordinis Praemonstratensis Institutis.

Cum plurima de die in diem in liturgia latina, nova aetate, mutantur, etiam in antiquis Ordinibus religiosis, qui canonice proprium ritum illibatum usque servaverunt, summopere oportet modo scientifico stabilire ea omnia quae forsitan post decursum temporis, decurrente presenti tempestate depulsa, summo labore quaerenda erunt ab iis qui tunc, maiore traditionum pietate acti, genuinum sensum liturgicum recuperare intendunt.

Placuit ergo membris Commissionis historicae Praemonstratensis ordinis, sive in periodico annuatim altera vice edito, sive in Bibliotheca operum amplioris formae, huic periodico annexa, studia circa antiquam et propriam liturgiam, nunc attritam, prodere. Brevi agetur in *Analectis* de psalterio Praemonstratensi, id est de psalmis tam in officio de tempore quam de sanctis certo ordine congestis, de hymnis a patribus nostris, in unaquaque hora officii, tum nocturni, tum diurni, receptis, de lectionibus in missa ac in officio, et de tempore et de sanctis, legendis, tandemque de hiis quae in processionibus dominicalibus vel festivis ac in caeremoniis ritualibus tenenda sunt.

In Bibliotheca vero publicabuntur initia, — et interdum integer textus, — sacramentarii, antiphonalisque missarum et officii. Haec omnia ad normam codicum de quorum constat authenticia, promentur, tam ante quam post reformationem saeculo XVII<sup>o</sup> introductam. Hoc modo poterit Ordinis nostri traditio, tum in suo esse primaevo, tum in posteriori sua evolutione, scientificè adumbrari. Unde si, — quod Deus avertat — eam totaliter contingeret ammitti, de sensu ad minus atque ejus oeconomia perenne maneret documentum.

*Commissio Historica Ordinis Praemonstratensis.*

---